

## ENCOMION

*Constituit, firmis firmata negotia chartis.  
Adde quod Vlricus Reütlingam scripsit ad urbem  
Atq; salutauit placidis, super omnia, verbis.  
Hæc quoq; Christophorus rata confirmauit amicis  
Et sanè dignis tabulis, verbisq; decoris,  
Inq; sinum, gremiumq; suum suscepit amicam  
Vrbem, religionem sacram, pietatis amantem,  
Et Pater illius Defensor, Tutor, & Auctor  
Extitit: hæc multis pax floruit hætenus annis.  
O Deus hanc pacem conserua longius almam,  
Et defende tuam, custodi fortiter, urbem.*

Illust. Dux Vvir-  
tēbergicus, Prin-  
ceps Christoph.  
Reutlingensis  
ciuitatis Patronus  
fuit 20. Annis.

**PAX AVREA** *Nam parua crescunt res semper pace sub alma,  
Contra diuitias Discordia rumpit opimas,  
Nec bello patet vlla salus, te poscimus omnes  
Pacem, Nutricem rerum, vitæq; senilis.*

Illust. Dux Vvir-  
tēbergicus, Prin-  
ceps Ludouicus  
Tutor & Patro-  
nus fuit 20. An-  
nis ferè.

*Quid loquar, & quo te Ludouicum carmine dicam  
Wirtenbergiaco natum de stemmate clarum  
Illustremq; Ducem? quo non præstantior alter,  
Qui fuit è Sueuis Princeps oriundus auitis  
Sedibus? & patrijs non excellentior oris?  
Seu spectes pietatis opus: seu Religionem  
Seu mores faciles, placidum super omnia vultum?  
Hic urbem nostram dilexit, & vndiq; fouit  
Hospitiog; fuit quondam susceptus amico  
Atq; hilari vultu, quod sic conuiuia vellem  
Hic cantare breui tantummodo carmine, maius  
Cresceret Iliade hoc carmen, fieretq; volumen.  
Sufficit hæc tantum scire, & meminisse nepotes.  
O Princeps Ludouice tui Reütlinga manebit  
Et memor, & cultrix, & faulrix, semper amatrix,  
Quod pacis cultor fueras, pietatis amator,  
Et bene Sueuorum flexisti Ductor habenas,*

An. 1591. 3. die  
Decemb.

Salue